Sanctiſsimi D. N. D.

BENEDICTI

DIVINA PROVIDENTIA

PAPÆ XIII.

CONSTITUTIO

Qua Regularibus profeſſis cujuſcumque Ordinis interdicitur, ne, cum ad Epiſcopalem Dignitatem, vel alias Prælaturas Eccleſiaſticas promoventur, ſecum aſportare præſumant Libros, Mobilia, & alia quæcumque Bona, quæ tempore ſuæ promotionis apud ſe, vel alios habebant, exceptis dumtaxàt Scriptis, propriis Indumentis, & Breviario, *ſub pœnâ ſuſpenſionis à Divinis ipſo facto incurrendâ, Summo Pontifici pro tempore exiſtenti reſervatâ, cum innovatione, confirmatione, ac extenſione conſimilium Conſtitutionum Alexandri IV. & Clementis IV. Necnon Superioribus Regularibus quibuſcumque facultas concedendi ad tempus iiſdem Promotis uſum prædictorum Bonorum abrogatur, cum clauſulis, ac derogationibus opportunis.*





ROMÆ, MDCCXXV. Typis Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

POSTULAT humilitati nostræ divinâ dispensatione commissum Sacrosancti Apostolatus officium, ut quæcumque respiciunt bonum, tranquillitatem, & commodum Ordinum Regularium, unde plurimum omni tempore non modò splendoris, ac ornamenti, verùm etiam utilitatis, atque præsidii Catholicæ Ecclesiæ accessisse, ac in dies magis accedere satis omnibus notum est; & quorum in Cœtu, nempè in Ordine Fratrum Prædicatorum, Nos ipsos olim fuisse, pluriumque annorum spatio versatos esse in Domino gloriamur, propensis studiis, paternâque charitate, & solicitudine promovere non omittamus; ac ea præsertim, quæ ad tollendos abusus, arcendam proprietatis labem, & inviolatum custodiendum in eisdem Ordinibus paupertatis Votum, à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris provido, justoque consilio sancita fuisse noscuntur, ut serventur exactiùs, Apostolicæ confirmationis nostræ munimine roboremus, & alias desuper concessæ Nobis cœlitùs authoritatis partes interponamus, prout rerum, ac temporum conditio exigit, & Nos, omnibus maturæ considerationis trutinâ perpensis, ad majorem Omnipotentis Dei gloriam, prosperum prædictorum Ordinum Regularium statum, ac animarum pretiosissimo Christi Sanguine redemptarum salutem, expedire in Domino arbitramur.

§.1. Dudum siquidem fel. rec. Alexander Papa IV. Prædecessor noster, cùm expositum illi fuisset aliquandò contingere, ut Fratres Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci ad Episcopalem, & alias superiores, seu inferiores Dignitates promoti secum asportare, propriisque usibus applicare præsumerent Libros, & alia, quæ tempore suæ promotionis haberent, tametsi non ad eos, quibus nihil proprium habere licet, sed ad Ordinem pertinerent; ad ejusmodi abusum submovendum, & consulendum præfati Ordinis indemnitati, quasdam suas desupèr promulgavit Literas Apostolicas tenoris sequentis, videlicet = *ALEXANDER Episcopus Servus Servorum Dei. Generali, & Provincialibus Minoris Ordinis Fratrum Minorum. Ex parte vestra Nobis fuit intimatum, quòd, cum contingat interdum*

ad Episcopalem, & alias superiores, seu inferiores Dignitates, aliquos de Fratribus vestri Ordinis promoveri, ipsi libros, & alia, quæ tempore suæ promotionis habent, licet non ad eos, cum proprium eis habere non liceat, sed ad Ordinem pertineant memoratum, propriis usibus applicare præsumunt in suarum perniciem animarum: Quare suppliciter postulastis à Nobis, ut providere super hoc salubriter curaremus. Nos igitur eorumdem Fratrum saluti, & indemnitati vestri Ordinis paternà volentes solicitudine providere, ut libros, & alia, quæ ipsos promotionis suæ tempore habuisse, seu habere constiterit, Tibi, Fili generalis Minister, vel tuis provincialibus Ministris, submotà qualibet dilatione, resignent, ipsis Fratribus jam promotis in virtute obedientiæ, illis autem, quos promoveri contigerit, ne resignare differant, authoritate præsentium duximus injungendum, nisi forsan Vos ipsorum usus eis ad tempus concesseritis de gratia speciali. Datum Laterani Anno Incarnationis Dominicæ 1255. Nonis Decembris, Pontificatus Nostri Anno primo.

§. 2. Deindè, cùm memoratus abusus in Ordinem quoque Fratrum Prædicatorum irrepsisset, recol. mem. Clemens Papa IV. Prædecessor itidem noster pro suo Pastorali zelo eum extirpandum curavit per suas consimiles Literas Apostolicas, quarum tenor hìc subjicietur = *CLEMENS Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Magistro, & universis Prioribus, & Fratribus Ordinis Prædicatorum salutem, & Apostolicam benedictionem. Providentia laudabilis, & salubris in cunctis vestris haberi debet operibus, ut exinde claritatem nominis in conspectu Dei, & hominum habeatis. Cùm itaque (sicut asseritis) contingat interdum, quòd illi ex Vobis, qui de Ordine vestro ad Archiepiscopatus, & Episcopatus, & alias Prælaturas Ecclesiasticas assumuntur, non considerantes quòd ex professione in ipso emissà Ordine nihil habent proprium, quod sibi specialiter valeant retinere, libros, & alia, quæ apud eos hujusmodi tempore promotionis habent, usibus propriis applicare, secumque portare præsumant in propriæ salutis dispendium, & dicti Ordinis non modicum detrimentum: Nos præsumptioni hujusmodi volentes salubriter refragari, universis Fratribus dicti Ordinis ad hujusmodi Archiepiscopatus, Episcopatus, & Prælaturas de cætero assumendis, authoritate præsentium districtiùs inhibemus, ne Consecrationis munus quoquomodo recipiant, antèquàm libros, & bona contingentia Ordinem memoratum, quæ apud eos tempore suæ promotionis habere contigerit, Prioribus, & Conventibus, de quibus assumpti fuerunt, cum integritate resignent; nisi forsan iidem Priores, de consensu ipsorum Conventuum, usum illorum ad certum tempus eis duxerint concedendum: alioquin eo ipso ab executione Pontificalis Ministerii noverint se suspensos. Inter hujusmodi autem libros non intelligimus comprehendi quaternulos, & alias chartulas, vel membranas, in quibus dicti Fratres sibi certa notabilia cum aliquibus privatis sermonibus collegerunt. Nulli ergo &c. Datum Viterbii Anno Incarnationis Dominicæ 1268. quinto Idus Junii, Pontificatus Nostri Anno quarto.*

§. 3. Quamvis autem præinsertarum Apostolicarum Literarum tenorem à memoratis Regularibus, pro quibus emanarunt, religiosè hactenùs observatum fuisse, & adhuc observari minimè vereamur: Nihilominùs nonnullis justis, & gravibus adducti rationibus, ad obstruendum fraudibus, quæ forsan in posterum committi possent, quemcumque aditum, easdem Alexandri, & Clementis Prædecessorum Literas cum omnibus, & singulis in eis contentis confirmandas, & innovandas esse duximus; prout Motu proprio, ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione illas, & in eis contenta quæcumque (iis tantùm exceptis, quæ eidem nostræ Constitutioni adversantur, ut infrà) amplissimè confirmamus, approbamus, ac innovamus, & quatenùs opus sit, adversùs quemcumque non usum, seu contrarium usum, qui quoquomodo prætendi posset, restituimus, pristinum in statum reponimus, ac plenariè reintegramus.

§. 4. Prætereà, etsi satis constet saluberrimam prædictarum Literarum dispositionem non ad eos dumtàxat, de quibus loquitur, sed ad universos etiam alios Regulares Ordines pertinere, cum ratio Voti solemnis paupertatis, cui illa unicè innititur, vigeat, locumque habeat generatim absque ullâ prorsùs differentiâ in omnibus Ordinibus, quorum Professores eodem paupertatis Voto æqualiter obstringuntur: adeòque sicut iidem Professores indiscriminatim nihil proprium possident, nec possidere possunt, & quidquid acquirunt, Monasterio, & Ordini acquirunt, ità sanè absque ullo discrimine, quando ad Prælaturas Ecclesiasticas assumuntur, bona, quæ ante earum assecutionem habebant, secum asportare, propriosque in usus convertere nequaquam possunt, sed Monasterio, & Ordini, cui acquisita sunt, ex integro relinquere, ac resignare tenentur; Nihilominùs ad quamcumque ambiguitatem submovendam, ac penitùs è medio tollendam, Motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus, memoratas Alexandri, & Clementis Prædecessorum Literas tenore præsentium expresè extendimus, ac ampliamus ad omnes etiam, & singulos alios Catholicæ Ecclesiæ Ordines, Congregationes, ac Instituta Regularia, Monastica, & alia quocumque nomine, & titulo nuncupata, nullo prorsùs excepto, à quibus, & ab eorum Professoribus deinceps illas in omnibus, & singulis, quæ præsenti Constitutioni non adversantur, exactissimè observari volumus, præcipimus, & mandamus, perindè ac si ipsæmet Literæ à præfatis Prædecessoribus nostris pro singulis aliis Ordinibus, Congregationibus, ac Institutis prædictis, eorumque Professoribus quibuscumque editæ, & promulgatæ fuissent, & non aliàs, aliter, nec alio modo.

§. 5. Cupientes insuper, ut omnis ansa, & occasio quibuscumque alienis, extraneis, aut subdolis prædictarum Literarum interpretationibus præcidatur, Ordinumque Regularium quorumcumque præfatorum indemnitati plenius etiam, atque uberius consultum

tum

tum sit: Motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus, omnibus, & singulis Regularibus Personis cujuscumque Ordinis, Congregationis, ac Instituti, ut præfertur, quæ à Nobis, & à Romano Pontifice pro tempore existente ad Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, vel quascumque alias Prælaturas, & Dignitates Ecclesiasticas in posterum assumentur, tenore præsentium strictissimè interdicimus, ac inhibemus; ne secum asportare, propriisque usibus applicare audeant libros, pecunias, credita, deposita, & bona mobilia, seu immobilia cujuscumque generis, & speciei, quæ eos tempore suæ promotionis penes se, vel alios habere contigerit, *exceptis dumtaxat Scriptis, propriis Indumentis, & Breviario*; sed ea omnia, statim ac suæ promotioni consenserint, & antequàm Consecrationis munus suscipiant, Superiori Locali, & Capitulo Cœnobii, Conventus, aut Domus, ubi degunt, integra, & intacta absque ullâ prorsùs diminutione, cum eorum Notulâ, seu Inventario bonâ fide confecto, resignare teneantur, ut illi postmodùm Cœnobio, Conventui, vel Domui applicari possint, ac debeant, cui juxta Constitutiones, & consuetudines cujusque Ordinis, Congregationis, ac Instituti, applicanda esse constiterit. Quod si secùs fecerint, & huic nostræ Ordinationi non obtemperare præsumpserint, contrafacientes, ultrà pœnam Suspensionis ab exercitio Pontificalis Ministerii in præfatis Clementis IV. Literis constitutam, Suspensionis insuper à Divinis pœnam ipso facto incurrant, cujus relaxationem Nobis tantùm, & Romano Pontifici pro tempore existenti (sublatâ ceteris omnibus, etiam Pœnitentiariæ Apostolicæ Officio, & majori Pœnitentiario, eam, etiam ad tempus, relaxandi facultate) specialiter, & expresse reservamus, ac reservatam esse volumus, statuimus, & mandamus.

§. 6. Postremò, cum æquum, & salutare, imò etiam necessarium arbitremur, ut occurratur, ac opportunum adhibeatur remedium præjudiciis, & detrimentis, quæ hactenus illata fuisse novimus, ac etiam de cetero inferri posse animadvertimus Ordinibus Regularibus, Cœnobiis, Conventibus, ac Domibus prædictis ex facultate, quæ ab Alexandro Prædecessore Ministro Generali, & Provincialibus Ordinis Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci, & à Clemente itidem Prædecessore Magistro Generali, ac Prioribus Ordinis Fratrum Prædicatorum, ut præfertur, tributa fuit concedendi Promotis ad Episcopalem, & alias Ecclesiasticas Dignitates, usum ad tempus librorum, aliorumque bonorum, quæ tempore suæ promotionis habebant: Motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus, tenore præsentium nedùm præfatis, sed etiam omnibus, & singulis aliis Superioribus quorumcumque aliorum Ordinum, Congregationum, ac Institutorum Regularium prædictorum, ad quæ præinsertas Alexandri, & Clementis Prædecessorum Literas, ut supra, extendimus, & ampliavimus, etiamsi Abbates, Magistri, Ministri, & Præpositi Provinciales, aut Generales fuerint, vel quacumque aliâ denominatione, ac titulo Ordinibus, Congregationibus,

bus, & Institutis antedictis præfuerint, nec non eorumdem Cœnobiorum, Conventuum, Domorumque Superioribus Localibus, & Capitulis quibuscumque, prædictam facultatem concedendi ad tempus usum librorum, aliorumque mobilium præfatorum prorsùs adimimus, auferimus, & abrogamus, ac pro ademptâ, sublatâ, & prorsùs abrogatâ ab omnibus in posterum haberi volumus, statuimus, & declaramus, itaut perpetuis futuris temporibus ejusmodi facultate uti ampliùs non possint, nec debeant, perindè ac si ipsis à præfatis Prædecessoribus nostris numquam tributa, & concessa fuisset, & non aliàs, aliter, nec alio modo: sub penâ, si secus fecerint, Suspensionis à Divinis eo ipso incurrendâ, cujus relaxationem Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti, privativè quoad omnes alios, reservamus, & reservatam esse statuimus, præcipimus, ac mandamus.

§. 7. Decernentes præsentes Literas semper validas, firmas, & efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit quomodolibèt in futurum, inviolabiliter, & inconcussè observari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quavis præeminentiâ, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ac authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus præinsertis Alexandri IV., & Clementis itidem IV. Prædecessorum Literis, & de jure quæsito non tollendo, ac ceteris nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non quorumvis Ordinum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordinibus, illorumque Superioribus, & Professoribus quibuscumque sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuscumque, etiam derogatoriarum derogatoriis, & aliis efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis etiam irritantibus, etiam motu simili, & consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna præsentibus pro plenè,

&

& ſufficienter expreſſis, inſertis, ac ſervatis reſpectivè habentes, hac vice dumtaxàt, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ac derogatum eſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 9. Ut autem præſentes Literæ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, ſeu earum exempla ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, nec non Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris eſt, affigi, & publicari; ſicque publicatas, & affixas omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perindè arctare, & afficere, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent: utque ipſarum præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Perſonæ in Eccleſiaſticâ Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides tam in judicio, quàm extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

§. 10. Nulli ergo omninò hominum liceat paginam hanc noſtræ confirmationis, approbationis, innovationis, ampliationis, reſtitutionis, reintegrationis, decreti, declarationis, ſtatutorum, voluntatum, mandatorum, conſtitutionis, aſſignationis, præcepti, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo quarto Nonis Martii Pontificatus Noſtri Anno Primo.

P. M. Card. Prodatar. F. Card. Oliverius.

Viſa de Curia J. C. Archiep. Amaſenus.
Loco ✝ Plumbi.

L. Martinettus.
Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini Milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo quinto, Indictione tertia, die decima quinta Martii, Pontificatus autem SS. in Chriſto Patris, & D. N. D. BENEDICTI Divina Providentia Papæ XIII. Anno primo, ſupradictæ Literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerùnt ad valvas Baſilicarum S. Petri in Vaticano, S. Joannis in Laterano, & S. Mariæ Majoris, prout ſimiliter ad valvas Cancellariæ Apoſtolicæ, & Magnæ Curiæ Innocentianæ, & in Acie Campi Floræ, & Monte Citatorio, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, dimiſſis copiis, ut moris eſt, per me Thomam de Unionibus SS. D. N. Papæ Curſorem. Joannes del Rè Mag. Curſ.